



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. XLIV. Constituitur P. Balthassar Visitator prouinciæ Aragoniæ, vbi  
magnam nostri Fratris Ioannis Ximeni virtutem cognouit, eiusque  
relationem confecit

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

## CAPVT XLIV.

CONSTITVITVR P. BALTHAS-  
sar Visitator prouinciæ Aragoniæ, ubi ma-  
gnam nostri fratris Ioannis Ximeni  
virtutem cognouit, eiusq; rela-  
tionem confecit.



VM P. Balthassar adeò foelici-  
ter ex prædicta probatione e-  
uasisset, Pater Generalis Euer-  
hardus optimam de eo habens  
informationem, eum consti-  
tuit Prouinciæ Aragoniæ Visi-  
tatore, sicut alios Patres ad  
alias prouincias visitandas mittebat, qui omnes &  
grauissimi erāt, magnæq; apud omnes opinionis,  
eò quòd Generalis locum & vices in eo munere  
obtinerent, cum non posset ipse per se prouincias  
visitare. Discessit statim, vt satisfaceret Obedien-  
tiæ: functusque est Officio illo, modo quodam  
adeò exacto, vt tanquam exemplar esse possit om-  
nibus simile munus gerētibus. Quare P. Aegidius  
Gonzaluis Abulensis tūc Romæ Assistens dixit, P.  
nostrum Generalem dixisse: ex sexdecim Visita-  
tionibus, quæ tunc in Societate erant institutæ:  
hanc habuisse singularem eminentiam. Nam P.  
Balthassar primum omnium studuit conseruare  
vnionem & pacem cum reliquis Superioribus,  
quoad fieri potuit: vt omnes simul reformationē  
spiritus, quæ in votis erat, aggredierentur: in qua  
Kk 3 ipse



ipserarò quodam sanctitatis exemplo in rebus omnibus præcedebat: id enim magnam conciliat gubernanti auctoritatem; redditque omnibus amabilem; & efficit, vt quæcunque ordinat ac præscribit, facile & cum alacritate recipiantur. Sed hanc vnionem nominatim habuit cum P. Prouinciali Petro Villaluo ( qui postea etiam fuit huius Prouinciæ Castellanae Præpositus Prouincialis, & retulit de ea visitatione, quæ iam dicuntur ) viro verè spirituali, valdeque candido: de quo P. Balthassar dicebat: se inuenisse hominem habentem veram virtutis opinionem & æstimationem: quare statim atque mutuò senouerunt, & agere cœperunt, ita inuicem dilexerunt, & vniti sunt: vt nunquam in iudicijs & consilijs mutuò discreparent, ac dissentirent. Nec id est mirum: nam statim atque Prouincialis aduertit magna dona P. Visitatoris à Deo collata, ita eam reuerbatur, vt quoduis eius responsum ac decretum iudicaret, quasi è celo elapsum: eiusque dictamina esse tanquam prima principia in materia spiritus & gubernationis.

Hoc totum ex eo etiam procedebat, quod ipse P. Balthassar visitationem cuiusque Collegij, priùs cum Deo D.N. communicaret; instantè orans, vt ad maiorem ipsius gloriam & Subditorum vtilitatem illa cederet: ideoque antequam eam inchoaret in quocunque Collegio aut domo, recipiebat se per dies octo, aut quot commodè poterat, ad spiritualia exercitia Orationis & lectionis pro more Societatis facienda: quo tempore volebat, quemquam secum loqui; sed totum transigebat cum Deo. Quæ ratio-



ne præter bonum exemplum, quod omnibus eius Prouinciæ dabat, eisdem etiam alliciebat, & quodammodo impellebat ad idem faciendum: talemq; de eo concipiebant opinionem qualis ipse re ipsa erat; quare tanquam virum Sanctum eum æstimabant, ac reuerentur; fœlices se ipsos iudicantes, quòd talis Superior sibi obtigisset, valdeq; anxie optabât, statim illi cor pectusq; suum aperire, eiusq; volûtati & manib. sese tradere, prudenter iudicantes: eum, qui tantam haberet cum D.N. familiaritatem & consuetudinem, non posse in sua gubernatione à recta via aberrare. Elapsis diebus suæ recollectionis, incipiebat agere cum domesticis omnibus, quos audiebat cum magna quiete, quam diu illi aliquid, quod dicerent, habebant. cui rei tempus semper tribuebat necessarium, siue cum minori siue cum maiori ageret, iuxta singulorum necessitatem, & non ob respectus humanos; qui sæpe in causa sunt, vt sine magna vtilitate tempus transigatur. Postquam eos audiebat, consolabatur, & ad perfectionem & familiaritatem cum Domino nostro extimulabat. Nec defuerunt, qui experirentur eius lucem & spiritum Prophetiæ, quem hic interdum ostendebat: vt eos ad obsequium Diuinum magis animaret. De vno minimû Patre illius Prouinciæ intellexi, quòd antequam esset Sacerdos, dixisset illi Pater Visitator quædam euentura; & ita euenerunt, sicut dixerat. Hac diligentia & verborum efficacitate in exhortationibus, quas ad omnes cum solito spiritu & feruore faciebat, magnum in omnibus fructum fecit, ita vt eius discessum grauitè sentirent, ob conceptum iam in eum



amorem; & fructum, quem ex eius consuetudine  
perceperant.

VISITATIONEM incepit à Collegio Caesar-  
Augustano, vbi thesaurum quendam absconditum  
cum magno suo gaudio reperit: Agens enim cum  
alijs domesticis de rebus animarum eorum, inue-  
nit Fratrem quendam Coadiutorem Ioannem Xi-  
menum virum excellentis, sed occultæ virtutis.  
Erat is natione Valentinus, ex quodam loco in  
Montanis nomine Viar, qui consilio cuiusdam  
Eremitæ statuit ire Valentiam, vt Societatem in-  
grederetur, in cuius consilij executione duo illi  
euenerunt magna indicia diuinę vocationis; & ad  
magnam sanctitatem electionis. Alterum fuit,  
quod accedente in medio itinere, hoste, ad eum  
tentandum, vt in patriam suam rediret, & cum  
matre, ac fratribus pauperibus maneret: ipse Di-  
uino spiritu afflatus, hoc se voto insigni obstru-  
xit: Deus, ego tibi promitto, me iturum, vt Pa-  
tribus illis, amore tui seruiam; promitto etiam  
tibi, Deus meus, nihil me facturum, quod non sit  
amoris tui causa: ego enim nescio, quo eam, vt  
licui seruiã, nisi tibi: qui Deus meus es, ac Domi-  
nus meus. Cum hac ingenua ac generosa promi-  
sione tentatio euauit, suumque ille iter profes-  
quutus est, Valentiam vsque: vbi alterum ei mi-  
rabile euenit: cum enim à Patre Prouinciali An-  
tonio Cortesio, magni spiritus viro, peteret in So-  
cietatem admitti; & Prouincialis cum Consulto-  
ribus ageret, an Ximenus recipiendus esset? illi  
qui cum eo iam pro more Societatis egerant, in-  
dicarunt hominem pro ea esse inutilem; & cum  
secundò ac tertio ad consultandum de ea re con-  
uenirent



nirent, eò quòd Prouincialis valde propende-  
 ret ad eum recipiendum. Ij tamen idem semper,  
 quòd priùs, dixerunt: sed ipse P. Cortesius inter-  
 na Dei morione impulsus, & vtens communi &  
 familiari sua phrasi, qua in rebus affirmandis vti  
 consueuerat, dixit: *in rei veritate* eum recipiemus  
 in Sanctum, eò enim hic homo tendere videtur:  
 & ita eum admisit. Exitus autem comprobauit, e-  
 ius resolutionem fuisse à Deo cum illa propheti-  
 ca phrasi. Paulò pòst missus est ad Collegium Cæ-  
 sar-Augustanum, vbi ferè semper manebat ruri in  
 prædio quod Iesus de Monte appellatur: vbi no-  
 ÷te dieque tanquam mancipium laborabat, quam-  
 uis sæpe ad Collegium veniebat: vbi ligna in ve-  
 hiculo, & aquam in vasculo, & res alias seruitio  
 domestico necessarias vehebat: amplectens, cum  
 magna lætitia, laboriosa ac difficilia munia, in  
 quibus alij magnam sentiunt repugnantiam, nec  
 desuerunt illi contemptus occasiones, ob falsa te-  
 stimonia in ipsum prolata: quibus tamen ipse no-  
 uit vtiliter vti. Et quoniam exterius erat vir sim-  
 plex ac syncerus, & ex altera parte tanquam hu-  
 milis, dona à Deo sibi collata occultabat; (quam-  
 uis communiter seruus Dei haberetur) non tamen  
 habebatur, nec æstimabatur, quanti eius virtus &  
 spiritus merebatur: donec Pater Balthassar ratio-  
 nem eius animæ accepit, ac de spiritualibus rebus  
 cum eo agere cœpit. Qui cum tantam cœlestem  
 lucem haberet, & earùdem rerum experientiam,  
 statim agnouit, quantum thesaurum Maiestas di-  
 uina in eius anima recondidisset. Non satiabatur  
 audiens referentem misericordias, quas à Deo ac-  
 cipebat: & tantum temporis cum solo, & toties



agebat, ut domestici, id aduertentes, scire auerent  
causam tam frequentis & prolixæ communica-  
tionis inter vnum Coadiutorem, & Visitorem  
adeò grauem: qui tamen, nihil hos rumores cu-  
rans, oblectabatur eum audiens; ei que oculos in-  
terdum aperiens, ut agnosceret, magnique face-  
ret dona ac beneficia, quæ illi Dominus largiebatur;  
ac se disposeret, ad alia maiora quotidie re-  
cipienda; reliquos etiam, qui in Collegio erant,  
capaces eius sanctitatis reddidit; ut quem antea  
non nouissent, nunc noscerent, & magni face-  
rent. Ac propterea inter alia, ex sua humilitate,  
dixit se multa ab hoc fratre didicisse ad Oratio-  
nem spectantia. Quod si talis Magister disceret  
aliquid ab eo, qui se profitebatur eius discipulum;  
signum est, discipulum in aliquo aequè in alium  
volasse, atque ipsum Magistrum.

Cum igitur in hac historia aliquas res notabi-  
les retulerimus de aliquibus Patribus, & Fratri-  
bus studiosis Societatis, quos ipse P. Balthassar in  
spiritu iuuit: oportuum erit dicere aliquid de  
Fratre vno illiterato, qui in Sanctitate & scientia  
spiritus multos eruditos & literatos superauit;  
quem idem Pater non solum multum iuuit breui  
tempore, fecitque eum mundo innotescere; sed  
quod amplius est ex Diuina & speciali Dei Proui-  
dentia, fuit virtutum eius historicus: quare ab his  
incipiemus, quæ cum iam redisset ex visitatione  
Villa-Gartiam de eis scripsi, respondens ad lite-  
ras cuiusdam Patris Prouinciæ Aragoniæ, qui fo-  
licem boni huius fratris exitum eidem Patri si-  
gnificauerat, petens ab illo, ut quidquid de eius  
virtutibus nosset, ad ipsos scribere non recusaret.

Litera



*Litera P. Balthassaris Visitatoris ad Patres & fratres Collegij Societatis IESV Cæsar-Augusta.*

**L**ITERAS V.R. 10. Martij datas 25. eiusdem accepi : ad quas respōdere hæctenus distuli ob graues occupationes. Quod ad vitā attinet F. Ximeni bonæ memoriæ, pauca ego scio; sed illa tamen bona & certā, ab ipsomet mihi dicta; dignaque quæ magni ab omnibus fiant; ab ijs præcipuè, qui illis maximè indigemus, vt nos excitēt, valde procul ab eis remanentes. Mi Pater, multa splendebant in Fratrem illo, Dei seruo, mundo quidem incognito, sed Christo D.N. notissimo, & charissimo : quædam erga Deum, alia erga se ipsum, alia erga superiores & proximos.

ERGA Deum in particulari magnam habebat fiduciam ( quam ipse vult seruos suos habere ) de optimo eius ingenio, & visceribus tenerrimis, quæ nobis in sanctis suis Scripturis reuelauit : & hæc erat firmum eius gubernaculum, maximaque fortitudo in omnibus laboribus, & aduersis euentibus, cum incidebant : in omnibus enim & per omnia se in eius vlnas conijciebat, eadem omnino ratione, successus omnes magnos & paruos accipiens. Oriebatur hæc eius fiducia ex eo, quod experientia didicerat ; & ex profunda quadam reuerentia in agendo cum Deo, coniuncta cum fidelissima & promptissima Obedientia in omnibus, quæ intelligebat sanctissimæ eius voluntati esse grata. In cuius confirmationem aliqua particularia proferam, quæ magni facie-



faciebat, valdeque tenerè, tanquam singularem  
 Dei misericordiam instar miraculi referebat;  
 quale fuit illud, quo mulus ipsum ex fluuio Ibero,  
 vbi iam submergendus erat, liberum eduxit. Su-  
 periori enim ipsum mittenti ad vehèdam aquam,  
 dicebat, se non habere sufficientes vires, ad mu-  
 lum continendum; & fluuium valde creuisse: ac  
 propterea periculum esse, ne ad quemuis motum,  
 & mulus & ipse submergerentur: & res ipsa, vt  
 ipse verebatur, euenit: mulus enim, cui insidebat,  
 ingressus est ad impetum fluminis: & cum se iam  
 videret perire, dixit Domino nostro cum magna  
 fiducia: ò Domine, iam hîc nullum est remedium,  
 nisi à te: nosti Domine, me Obedientiæ propo-  
 sisse virium mearum imbecillitatem: ideoque ab-  
 que mea culpa in hoc periculum incidi. Orem  
 miram! in eodem puncto mulus substitit, & in po-  
 steriores pedes erectus extremitatibus eorum val-  
 de cautè innitens, quasi homo esset, cœpit retro-  
 cedere: & inusitato adeò modo inde exiit, vt quasi  
 miraculum iudicaret. Hæc autem experientia e-  
 ius, quod in Deo habebat, diues illi fuit fodina,  
 valdeque efficax ad ipsum à mundo euellendum  
 ipsi verò Deo solidè adhærendum. habebatque de  
 ipsius manu efficacia auxilia, vt fortiter ipsi ad-  
 hæreret: *in primis* magnam cordis à rebus omni-  
 bus expeditionem: de quo interdum dicebat: ni-  
 hil melius, quàm expedire cor ab his rebus ter-  
 renis, Deoq; omnino tradere: nam statim tot be-  
 neficia donaq; super eum descendent, vt vix pos-  
 sit ad tot simul accipienda attendere. *Deinde* pa-  
 cem quandam & solatium plenum, in omni ge-  
 nere euentuum. *Tertiò* tantam cordis sui ad Deum  
 conuer-



conuersionem, vt quasi nunquam eius aspectum  
 Deuseffugeret. *Quarto* magnam in Oratione sen-  
 tiebat dulcedinem: & concesserat illi Deus, vt  
 breuis somnus ei sufficeret, quò posset plus tem-  
 poris, solus, & in quiete & silentio noctis, cum  
 occupationes Obedientiæ cessarent, nec externa  
 adessent proximorum impedimenta, Orationi  
 dare. Nam cum præ defatigatione ex continuato  
 per diem labore, vix in nocte consisteret, sume-  
 retque necessarium tunc alimentum, (nam sic la-  
 boranti fratri cibus & potus sufficiens maximè  
 iuxta ordinem Obedientiæ, & ad peragendum in  
 suis laboribus, tantum abest, vt spiritum impe-  
 diat, vt potiùs eum adiuuet, nam (dicebat idem  
 frater) Equi trahunt currum, non currus equos; si  
 autem hi non comedant, nec trahere poterunt)  
 tres aut quatuor horæ pro somno ei sufficiebant;  
 & secunda, aut tertia post mediam noctem hora  
 iam vigilabat: & quod reliquum erat noctis per-  
 noctabat in Oratione Dei in subdiali turris do-  
 mesticæ: vbi suadebat, vt ego deambularem, ex-  
 perturus, quid illud esset. Cuius rei commodiùs  
 gerendi causâ ab externis exuendi, induendi que  
 obstaculis Deus voluit eum esse liberum: dormiebat  
 enim à longo tempore indutus, assentientibus Su-  
 perioribus: quæ ratio tû Orationi erat comodi-  
 or, tum sanitati non nocebat: nihilq; in corpore nu-  
 triebat sordium, quæ ipsum molestarent, aut in  
 expurgandis occuparent: sed animæ & corporis  
 munditia fruebatur. Eius Oratio communiter  
 erat de Christi Domini Passione, ob quosdam  
 rhythmos, quos de ea referens, magnos sentiebat  
internos animi motus, vt non posset sibi à lacry-  
 mis



mis temperare. Sed hæc tunc ipse aperiebat, cum suæ conscientię rationem redderet, vt iuxta Obedientiæ præscriptum, syncerè & candidè cum Superioribus ageret: & adhuc multa præmittebat ad pudorem & ruborem suum spectantia. Vnum autem dicebat, recenti memoria retinèdum. Nam interroganti mihi, de eius Orationis argumento respondit: Cogito, Pater, de Christi Passione: nihil enim aliud est, de quo sit cogitandum: nam in ea omnia continentur.

ERGA seipsum, vltra religiosam vitam, alijs similem, contemptum insignem habebat cum interna appetitionum & cupiditatum suarum mortificatione, quæ Dei voluntati aduerterentur. Id quod seriò omninò seruabat: eò quod experientia didicerat, statim atque aliquid horum ipse præmitteret; Deum sibi deesse; portionemque ordinariam sibi subtrahi, quam ipse omnibus huius mundi rebus proferebat; & cum qua excitatus viuaxque in Dei seruitio versabatur; viresque sentiebat aduersus omnes molestias, illud impediens.

ERGA alios talem etiam sui contemptum proferebat, vt certò statueret, qualvis molestias, & iniurias aliorum ferre; easdem verò alijs pro viribus præcauere; & omne potiùs obsequiũ (quod in se esset) eisdem exhibere: & hæc scaturigo fuit illi vitæ principium, & ingens thesaurus. Nihil faciebat verbum illud quod alios terrere solet. Quid homines dicent? gaudebat viles ad eò vestes gestare, vt nihili ab alijs fieret, & contemneretur. Quare de hoc agens argumento dicere solebat: quid ad me quod me homines æstiment?  
& quid



& quid illud mihi proderit? potius si mei meminissent, & aliquam rationem habeant, posset me impedire; sed obliuisci & cōtemnere me, potius iuaret. Hoc igitur, dicebat, velle deberem & querere: non verò, quòd meum profectū retardat.

ERGA Superiores elucebat in eo magna quædam reuerentia & respectus; vt qui clarissimis eos oculis intueretur, tanquam Dei vices agentes; & animi quoddam decretum non transgrediendi eorum mandata, etiam difficillima, pro vlla re huius mundi. Ideoque aiebat, Huiusmodi Superiores ponere ego debeo super oculos meos, quantumuis me illi mortificent, & (vt illius verbo vtar) me velint etiam sine causa & ratione exactissime perficere, & omnibus numeris absolutum reddere.

Et hęc mihi rerulit quiddam sub magno secreto, quod sibi ante aliquot annos cum quodã acciderat: in quo existimabat Superiore excessisse limites ipsum premendo, in materia honoris, quę valde ad viuū tetigisset, in qua tamen re virum se ipse præbuit, tam in vsu talis occasionis, Deo illã offerendo, vt fructum ex ea caperet; quã in ea occultanda: ne defectus eius alijs innotesceret, à quo fuisset adeò læsus & iniuria affectus. Et quãuis ex modo, quo ille casum referebat, videbatur reuera Superior excessisse, non adhibendo ei fidem, nec admittendo rationes, quibus ipse, quod obijcebatur, excusabat: nihilominus, quod res proficiscatur à bono profectus ipsius Zelo: eam probationē direxit ipse ad maiorem ipsius Obedientię æstimationē, suūq; maius bonū: hoc enim initiū fuit & fundamētū quo ipse magn⁹ & excellēs  
 inspi-



in spiritu euaderet: quod scilicet sponte sibi moreretur, ut viueret Deo, reseruans & in loco tuto talem occasionem eiusque fructum reponens: Interroganti etiam mihi, quomodo se cum Deo haberet? respondit: antequam omnino me Obedientiae subijcerē, ac traderē, semper eram inquietus, nec benè mihi succedebat: at postquam id facere decreueram, & re ipsa præstiti, adeo benè me habeo, ut nesciam, quid ultra desiderem: quod si Obedientia ipso tempore Orationis in aliqua alia re me occuparet, nihil curarem quod eam non haberem: modò ego obedirem; adeoque lætus & pacatus currum sequar, atque si in ipsa Oratione manerem: præcipuè cum neque sic Oratio impediatur, nam etiam currum sequens suos de passione rhythmos repetebat, ac meditabatur, suasque Dominicas preces, earumque mysteria recitabat.

ERGA proximos valde sitiebat eorum salutem, & ut omnes Deum agnoscerent, eiusque legem sanctissimam custodirent: ex quo oriebatur internum quoddam consilium ad homines iuandos: cum omnibus enim rusticis, & ignaris hominibus occurrentibus, ita colloquebatur, ut inciperet ab aliqua re, quam illi libenter audiebant, sed mox transibat, ad id quod ipse cupiebat, fructum scilicet animarum eorum, & ita miscebat sermones de Deo. præcogitabat autem, quæ illi esset dicturus: & talem scientiam ac peritiam ipsius gradui accommodatam Deus ei dederat, adeoque suauiter agebat, ut ordinariè eos lucraretur, & in moribus ac vita mutaret, quibuscum agebat. Et huiusmodi rerum particularia quædam referre



referebat, quæ dictis eius fidem faciebant: quosdam enim homines, accepta occasione, reprehendebat; alijs modum præscribebat & ordinem vitam suam more Christiano instituendi; & adiecit: hucusque se non fuisse ausum apertè de Deo cum omnibus loqui; sed cum magna cautela, & aliquibus tantum; sed impofterum se confidenter de Deo cum omnibus collocuturum: hoc autem ita tenerè proferebat, vt lacrymæ ex oculis fluerent. Semper loquebatur de verbis Dei, ita in eos sermones prorumpens, vt non posset se continere: cuius rei in isto Collegio vestro satis multi sunt testes, qui ad prædium ibant, omni exceptione maiores. Cuius sinceritatem, & cordis veritatem, fœlicemque in huiusmodi sermonibus progressum & exitum aduertens, non habui animum eos illi prohibendi; cum tamen priùs, ad rē ipsam attendens, cogitassem eum monere, vt sibi ab eis temperaret. Rerum internarum magnam habebat lucem; eamque satis ostendebat, cum in prædio aliquid proponebat ex ordinatione Obedientiæ. Quidquid hæctenus de eo scripsi & plura quæ vobis sunt nota, bonum testimonium & confirmationem habuerunt ex eius adeo exemplari fine vitæ, & ex die mortis, quem nouit & significauit octo dies antequam accideret; cum tot alijs particularibus circumstantijs vobis satis notis. Superest nunc, vt cum ego hic retulerim, quæ memoriæ occurrerunt ad vestrum solatium; & quia id à me petiistis: vt & vos tantundem ad meam petitionem faciatis, mittendo ad me descripta, quæcunque de eo collegistis, & rhythmos præterea, quos ipse fecit & in prædio canebat; & quos



de passione Domini in suo curru meditabatur; & simul indicado, vnde esset oriundus, & cuius aetatis, & quot annis in Religione vixerit: nam diem obitus eius iam noui: quem Deus vtrique nostrum det aequè felicem: sitque IESVS in anima R. V. totusque eius amor & solatium Amen. VILLAGARTIAE, die Sanctorum Philippi & Iacobi, 1579. Hæc est virtutum Ioannis Ximeni series & relatio, quam bonus eius Superior & Pater scripsit: prodens eadem opera satis apertè propriam facultatem ac talentum ad cognoscendam virtutem & spiritum suorum subditorum, qui vt bonus Pastor benè suas oues nouerat.

## CAPVT XLV.

*QUAEDAM ALIA IOANNIS  
Ximeni memoranda, & nominatim  
quæ cum Patre Balthassare  
ei euenere.*



PRÆTER ea quæ P. Balthassar in præmissa sua Relatione scripsit, operæ pretium erit quædam alia addere, aut ab eodem Patre verbo relata, aut certa alia via cognita, de ingenti & præstanti huius fratris religione, & spiritu, qui semper fuit valdè propensus ad rationis dictamen sequendum, & in eadem propensione plurimum profecit in ipsa religione.